Nr. 4511.

CURRENDA XIX. XX.

A. D. 1874.

In nexu cum Decreto S. Congregationis C. super eleemosyna Missarum de 9. Septembr. 1874. (v. Curr. XVI. 1874) communicamus sequentibus Institutionem Prosperi Lambertini t. R. E. Card. in eadem materia.

Institutio ecclesiastica LVI Prosperi Lambertini S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi Bononien., postea Benedicti XIV Pontificis Maximi.

De Missae stipendiis.

Illud stipendium, quod ex communi Ecclesiae disciplina Sacerdotibus traditur comparando fructu medio Sacrificii et loco panis ac vini, quae antiquitus offerebantur, suffectum fuit, quodque saeculo octavo propagari coepit, si Thomassino [1]), ac Mabillonio [2]) rerum sacrarum viris peritissimi fidem praestamus, licet Pater Franciscus Berlandus ex Ordine Theatinorum altius repetendam hanc consuetudinem plurimis documentis, ac rationibus contendat [3]); illud, inquam, stipendium multas curas ac sollicitudines in Ecclesia concitavit, vel ad coercendam Sacerdotum avaritiam, vel ad aliquam normam statuendam, ne ipsi detrimentum caperent ob aliorum libidinem et ne hoc necessario subsidio destituerentur; vel denique, ne Fidelium voluntas fraudetur, qui stipendium offerunt, ut res divina pro ispis, vel pro aliis adhuc vitam agentibus, aut pro Defunctis conficiatur. Quamobrem S. Franciscus uti Alvarus Pelagius testatur, pro his corruptelis evitandis constituit, ut sui Ordinis Alumni quocunque loco degerent, semel tantum in die celebrarent. Sanctus quoque Ignatius Societatis Jesu Fundator parte sexta suarum Constitutionum cavit, ne aliquis ex suis Sacerdotibus stipedium pro Missae Sacrificio perciperet.

Ac primum, licet animus maximo disciplinae Ecclesiasticae studio non inflammetur, si religione tamen aliqua praeditus sit, horrore sane incredibili commovebitur, si perpendat quo Sacerdotum avaritia superioribus temporibus progessa fuerit, cum de stipendiis Missarum ageretur. Plura Sacra uno die facere coeperunt, ut majorem pecuniam congererent Cum vero id contrarium Ecclesiae institutis agnoscerent, eodem Sacrificio plures hostias offerebant, quarum numerus acceptas eleemosynas exaequabat; qui mos etiam a Graecis

---

[1]) De veteri et nova Ecclesiae disciplina tom. 3. lib 1. cap. 7 r. num. 18.

[2]) In Praefat. ad part. 1. saecul. 3. Benedictin. n. 62.

[3]) In Dissertation-Historicoe Theologica de Sblationibus Altaris port. 2. § 2.

retinetur, quos idcirco Arcudius [1]) vehementer improbat. Post haec Missae, quas Bifaciatas, vel Trifaciatas nuncupabant, subrogatae fuerunt, cum nempe Sacerdotes bis, ter et quater rem divinam inchoabant et usque ad Oblationem prosequebantur; deinde toties secretas Orationes repetebant, quoties Missam inchoaverant, Canonem vero semel percurrebant, ac postremo totidem addebant Collectas, quot initio recitaverant; quae omnia propter nefariam augendae pecuniae cupiditatem fieri consueverunt.

Petrus Cantor in Ecclesia Parisiensi, qui Saeculo XII. inter mortales agebad, has corruptelas gravissime redarguit [2]) et Sacerdotes ejusmodi Juda deteriores adfirmavit; „Turpius Christum vendimus, quam Judas, eo quod deteriores sumus: Ille enim, inquit, quem purum Hominem credebat, cum Familia etiam ejus indigeret, vendidit; nos vero, quem scimus verum Deum et Hominem vendimus.“ Postea superaddit: „Ille pro triginta argenteis, nos pro denario et pretio vilissimo. Ignoramus quodnam pretium triginta denariis, quos proditor Judas accepit, Petrus Cantor tribuerit. Nam discrimen inter siclos Sanctuarii et argenteos communes intercedit; hi enim novem scutata Romana pretio adaequabant; ille vero summam duplo majorem continebant; uti praestantes eruditione viri tradiderunt;“ esto tamen de minoribus siclis res intelligenda sit, Petri Cantoris argumentum aptissimum semper judicabitur, quod etiam his verbis magis confirmat: „Ille paenitens, licet non vere retulit et rejecit triginta argenteos: in Ecclesia autem inter nos non est, qui turpiter acquisita rejiciat.“

Supervacaneum est decreta recensere Conciliorum ac Pontificum, quibus hae corruptelae vehementer improbantur. Qui tamen ea cupiunt intueri, Christianum Lupum [3]), Cardinalem Bonam [4]), Thiertium [5]), ac Patrem Berlandum [6]) percurrant, qui eadem decreta fuse commemorant: satis erit innuere receptam quidem ab universa Ecclesia consuetudinem, ut pro Sacro dentur et accipiantur stipendia, cum ex altari vitae sustentationem merito desumere Minister Altaris debeat; ideoque non sine impudentia mos ejusmodi damnari potest: Sufficere debet, inquit Gerson [7]), ad consensum hujus veritatis usus totius communis Ecclesiae, qui sic habet et recipit; cui si quis detrahit, imprudenter se decipit etc. Nihil aequius secundum omnem legem esse deducit Apostolus I. ad Corinth. 9. quam, qui Altari servit, de Altari vivat: tamen proculdubio avaritiae crimen et speciem quandam simoniae admitteret, qui pro Missae stipendio pactiones aliquas, aut conditiones faceret, quemadmodum ex Tridentina Synodo deprehenditur [8]). Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non

---

[1]) Lib. de Concordia.

[2]) In opere, cui Tirulus: Verbum abbreviatum c. 37.

[3]) Innotis Conc. Ro. habiti sub Al. II. t. 5. novae edit suorum oper p. 150.

[4]) Rerum Liturg. l. 1. c. 15. n. 7.

[5]) T. 3. superstition. c. 13.

[6]) Diss. superius allata historico Th. de obl. Altar. par. 2.

[7]) In suo tr. de solitudine Ecc. part.

[8]) Sess. 22. in Dec. de obs. et ev. in Celebr. Missae.

importunas, atque illiberales Eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibet. Nam, uti docet S. Thomas [1]), Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiae, aut Missae decandantae, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis. Insuper alio loco [2]) eandem confirmat sententiam his verbis: Facere pactionem de Missa celebranda est simonia etc.; si tamen non habe alios sumptus et non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere sicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missae, sed quasi sustentamentum vitae;

Sacerdos, uti superius dictum fuit, partem aliquam suae sustentationis ex stipendio tantum desumit, quod Juveninus hoc pacto declarat [3]): Sed monitum velim Lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quae illud stipendium definit ex summa, quae satis sit Sacerdotis in unam diem sustentationi. Ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram Presbyteri sustentationem, sed ad illius adminiculum. Nec mirum; quippe quod saeculares Sacerdotes fruantur aut Titulis Patrimonialibus, aut Beneficiis, quae teneant eorum locum: vetant nempe Canones, ne saeculares ordinentur, quin suffulti ad vitam titulo. Mendicantes vero a Populo fideli supponuntur reciperere eleemosynas, quibus vescantur: nec enim ad Monasterium admitti debent plures, quam consuetae eleemosynae sustentare valeant.

Sublatis ob legum severitatem his corruptelis, aliae rationes excogitatae sunt, ut aditus liber pateret avaritiae ac turpi lucro, quod juxta Concilium Tridentinum a simoniaca labe parum abesse videtur. Incredibilis librorum copia in vulgus emanavit, quibus variae de Theologia Morali quaestiones in examen adducebantur. In illis autem dirimendis causa potissima omissa fuit, ob quam S. Mater Ecclesia pro Missae Sacrificio stipendium permittit, nempe ut Sacerdotes ad vitam sustentandam aliquod ex ipso stipendio levamen suscipiant, non vero, ut divitiis cumulentur, quod nos paulo ante explicavimus; ideoque sordidos quaestus augeri Ecclesia semper improbavit. Itaque disputari coepit, an Sacerdos, qui eleemosynam accepit minorem illa, quae in diocesi constituta fuit, Sacrum tamen facere pro illo debeat, qui stipendium largitus est. Insuper, an Sacerdos collatis sibi per diversos fideles pluribus exiguis stipendiis, rem divinam conficere, illisque fructum attribuere teneatur; nec sane defuerunt Theologi, qui Sacerdotem in utraque quaestione ab onere celebrandi prorsus immunemj udicarunt. Falso pariter existimatum fuit, Sacerdotem, qui stipendium consueto majus invenerit, posse alium Sacerdotem ad Sacrum faciendum subrogare, ipsique solitam tantum eleemosynam impertiri, ac reliquum, quod superest, sibi retinere. Nonnulli etiam perpendentes fructum medium Sacrificii, qui in Sacerdotis potestate atque arbitrio relinquitur, in satisfactorium atque impetratorium distingui, plures eleemosynas pro eodem Sacrificio comparari posse censuerunt, si videlicet Sacerdos fructum satisfactorium, exempli causa pro aliquo defuncto et simul pro aegroto impetra-

---

[1]) 2. 2. q. 100. a. 2. ad secundum.

[2]) 4 Sent. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 1. ad quart.

[3]) De Sac. diss. 5. q. 7. de Sacrificio Euch. a. 5.

torium fructum attribuat. Sed alia quoque pro congerenda pecunia proposita fuerunt Fructum specialissimum, qui Sacerdoti solum convenit, in Missa contineri excogitatum fuit, ideoque plures inquisierunt, an Sacerdos, qui pro fructu medio jam stipendium accepit, fructum specialissimum alteri pariter attribuere possit, ac pro illo novum stipendium exigere, quod facile satis adfirmarunt. Illud solum cavendum monuerunt, fructum specialissimum trium Missarum fructui medio unius Sacrificii tantum adaequari; quamobrem suscepto jam stipeudio ob fructum medium, tertiam quoque partem alterius stipendii pro fructu specialissimo percipi posse docuerunt. Cognitum perspectumque omnibus est, quod capite „significatum" de Praebendis conceditur, nempe ut Sacerdos, qui Sacrum facere quotidie per se ipsum debet, illud aliquando praetermittere possit, vel quia a voluntate Fundatoris id minime alienum putatur, qui adeo rudis judicandus non est, ut Sacerdoti ad celebrandum designato tam grave onus constituere voluerit; vel quia ad Sacrum majore pietate ac religione peragendum plurimum confert, si Sacerdos a re Divina aliquando abstinuerit. Nam evenire potest, ut ipse uon semel eo pietatis studio minime incendatur, quod necessario requiritur, ut Sacrum Deo rite operetur. Hinc nova quaestio excitata fuit, an Sacerdos quo die immunis a re Divina conficienda censetur, si tamen Sacrum perficiat, ipsiusque fructum alicui attribuat, an, inquam, stipendium ab eo sumendum videatur; idque Scriptores aliqui rationi consentaneum putaverunt. Insuper, interposito discrimine inter Missae celebrationem, ejusque applicationem, inquirendi locus oblatus fuit, an Sacerdos, qui in aliquo peculiari templo atque Altari peculiariter expressis rem Divinam facere, non tamen applicare debeat, duo simul stipendia percipere possit, videlicet unum pro celebratione, alterum pro applicatione, quod aliqui parirer non improbarunt. Postremo eam consuetudinem in aliquas dioeceses invectam, qua novi Sacerdotes, cum primo Sacrum conficiunt, Ecclesiam circumeunt, ut eleemosynas congerant, omnino probandam nonnulli censuerunt.

His sententiis ad Apostolicam Sedem delatis, quit staduendum esset, ipsa indicavit per Sacram Concilii Congregationem, quae non modo ad explicandam Tridentinam Synodum instituta fuit, sed etiam, ut Ecclesiae disciplinam per universum orbem integre sancteque tueretur. Plura igitur decreta promulgata fuerunt, cum Urbanus VIII. Pontificatum gereret, qui primum Apostolica Constitutione [1]), ac deinde Innocentius XII. peculiaribus litteris eadem decreta confirmarunt. Ipsa quidem varis locis edita sunt, ac praesertim post Synodum dioecesanam Cardinalis Jacobi Boncompagni Decessoris nostr praeclarissimi. In his sancitum fuit, ut, qui eleemosynam pro Sacro acceperit, licet stipendium in dioecesi constitutum non exaequet, ad ipsum Sacrum conficiendum teneatur fructumque illi attribuere debeat, qui eleemosynam impertivit. Qui vero plura exigua stipendia a diversis Fidelibus congesserit, tot Missas celebret, quot pro ratione susceptae peconiae celebrari queant. Qui stipendium solito majus consequutus fuerit, si alium Sacerdotem suo loco ad celebrandum substituat, integram pecuniam in illum conferat, sibique nihil omnino retineat. Id quoque servandum Sacra Congregatio [2]) decrevit, licet Sa-

[1]) 43. in Bullario Rom. t. 4.

[2]) In Romana eleemosyna die 23. Aug. an 1664. l. 24. Dec. p. 246

cerdos ad faciendum Sacrum subrogatus rem totam plane noverit et tamen se minori stipendio contentum fateatur. Alexander VII. ad eandem Sacram Congregationem dijudicandum rejecit, an duplex stipendium pro fructu satisfactorio atque impetratorio sumi liceret. Quare die 13. Decembris anno 1659. responsum fuit, id minime permitti posse. Ita Fagnamus, qui tunc Sacretarii munere fungebatur [1]). Idem Pontifex hac duas sententias per Sancti Officii Congregationem inter proscriptas adnumeravit [2]): Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. [3]): Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. In Pontificatu Innocentii XI. Collensis Episcopus postulavit: Primo, an Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capelaniae, legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint oliquando a celebratione vacare; et, quatenus affirmative; Secundo, quando et quoties a dicta celebratione vacare possint; Tertio, an diebus licitae vacationis possint Missam pro se ipsis, vel aliis, praeterquam pro Fundatoribus celebrare; et, quatenus affirmative; Quarto, an pro aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere; Quinto, an illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab illis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum; Sexto, an Sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare? Sacra vero Congregatio die 18. Septembris anno 1863, hoc pacto respondit: Ad primum et secundum affirmative, concurrente aliqua rationabili causa; ad tertium, quartum et sextum negative, ad quintum distulit resolutionem [4]). Insuper, cum Tridentina Synodus [5]) juxta superius allata verba nihil accipiendum sanxerit, cum novi Sacerdotes primo Sacrificium offerunt, disputari coepit, an novus Sacerdos in medio Altari se ad populum convertere posset et oblata munera suscipere; et utrum caveretur solum a Concilio, ne ob hanc causam Ecclesiam circumiret; hinc Gregorius XIII. anno 1573, audita prius S. Congregationis Concilii, opinione, ita statuit: Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione Congregationis Concilii, decrevit, licere se vertere in medio Altaris ad Populum et accipere oblationes, non autem circumire Ecclesiam. Itaque illud solum examinandum superest, an possit duplex stipendium accipere, unum nempe pro celebratione, alterum pro Missae applicatione, qui ad ipsam celebrationem solum adstringitur.

Passerinus [6]) quidem Ordinis S. Dominici Procurator olim Generalis, qui Romae plures annos exegit, duplex stipendium probavit; Cardinalis etiam de Lugo [7]), qui post Urbani VIII. decreta scripsit, eandem sequitur opinionem; eam pariter amplectitur Auctor

[1]) In Comment. ad. c. Fratern. n. 97. de sepult.

[2]) Num 8.

[3]) Num. 9.

[4]) In l. De. cr. 32. fol. 311.

[5]) In l. 1. p. 1. et 3.

[6]) T. 2. de statib. Hominum q. 187. a. 4. n. 98

[7]) Disp. 21. de Euch. n. 19.

praeclari libelli pro novis Confessariis instituendis Romae nuper editi [1]. Bartholomaeus autem Gavantus, qui S. Rituum Congregationis munere consultoris egregie functus est [2], decretum S. Congregationis Concilii die 13. Julii anno 1630. promulgatum affert, cujus haec sunt verba: Quod, quando in fundatione Beneficii, seu Capellae expresse cautum est, non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo casu poterit Celebrans accipere novum stipendium et unica Missa satisfacere obligationi Beneficii seu Capellae et idem danti novum stipendium. Attamen contrariam sententiam P. Diana magis adprobavit [3]; pro qua aliud S. Congregationis Concilii decretum in medium profertur his verbis confectum die 9. Januarii et 6. Februarii anno 1627." An Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus vel Monasteriis Monialium celebrant, quam pro ornatu Ecclesiae, vel ut Confratres vel Moniales satisfaciant praecepto audiendi Missam, possint ultra stipendium, quod recipiunt a Confraternitatibus vel Monialibus aliud stipendium recipere. Sacra Concilii Congregatio 9. Januarii et 6. Februarii 1627, in Traguriensi respondit: non posse." Decretum ejusmodi litteris etiam Senioris Cardinalis Paulucci ad Episcopum Comacli magis confirmatur [4]): Abrogata non fuit sententia prolata in causa Traguriensi; siquidem Capellani duplex stipendium accipere nequeunt pro Missarum celebratione, quamvis ad applicationem Sacrificii minime teneantur: Quare iisdem significare poteris etc.

Decretum, ac litterae, quas modo commemoravimus, a multis Scriptoribus afferuntur, ac potissimum in appendice Synodi dioecesanae, quam Battistelius Fulginas Episcopus [5]) celebravit, ubi Virorum quoque praestantium auctoritates congeruntur. Attamen experientia compertum habemus, in errorem non semel eos adduci, qui Sacrarum Congregationum sententias usurpant; eos pariter plane novimus, qui in hoc negotio periti satis existimari debent. Quamobrem, cum tot annis, quibus S. Congregationis Concilii Secretarium egimus, nulla unquam nobis occurrerit sententia ex iis, quae ab utraque parte feruntur, ut pateat, an Sacerdoti ad celebrandum unice addicto liceat duplex stipendium percipere pro celebratione, atque applicatione; cum nullum pariter hujus rei documentum habeatur in notis ac decretis, quae nos maximo studio, diligentia et incredibli labore collegimus, hanc quaestionem non diremptam relinquemus, donec magis tuta monumenta deprehendantur. Neque enim res ita facilis ad judicandum videri potest: nam pro Sacrificii applicatione obtinenda satis est, ut ipsius celebratio indicatur. Si quis autem se applicationis onere prorsus immunem esse contendat, apertissime docere debet, a pio Testatore Missae celebrationem unice requiri et Sacerdotis arbitrio permitti, ut fructum Sacrificii, cui libuerit, attribuat. Hoc pacto constituit S. Congregatio Concilii die 18. Martii anno 1668. [6]); eandemque sententiam perpetuo sequuta fuit, cum simile aliquid evenit. Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio Testatore reperitur fundata quaedam Capellania cum onere Capel-

---

[1]) Par. 2. c. 17. n. 411,

[2]) L. 3. c. 12. n. 5. de Rubric. Miss.

[3]) In suis Op. et in Cott. in suis Con. trov. I. 3. contr. 5. n. 55.

[4]) Datae fuerunt die 30. Martii an. 1661.

[5]) P. 251.

[6]) In causa Tinen. Applicat Sac. 1. 27. Decr. fol. 61.

lano pro tempore Sacrum faciendi singulis Dominicis, aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium: ideo Episcopus Tinen. supplicat, per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi Sacrificium applicandum sit pro anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum esse, comperit. Sacra Congregatio Concilii respondit, applicandum esse Sacrificium pro anima Testatoris.

Sublatis iis corruptelis, quae ex Sacerdotibus dimanabant, alia plurima sancita sunt, ut detrimentum reparetur, quod ratione legitimi stipendii, ipsis Sacerdotibus inferri consuevit. Nemo ignorat perpetuas alias, alias vero adventitias Missas nuncupari. Primae quidem quotidie, vel certis quibusdam diebus ratione Beneficii, aut Fundatoris instituto, vel Testatoris voluntate celebrantur; adventitiae vocantur, pro quibus stipendium a Fidelibus traditur, ita tamen, ut nullus fundus, nullumque onus in futurum tempus constituatur. Itaque, ne fraus ulla admittatur, Scriptores unanimes consentiunt, stipendii summam ex consuetudine, institutis Synodalibus, vel arbitrio Episcopi statuendam; idque Sacra Congregatio Concilii sua auctoritate confirmavit. Interamnensis Episcopus die 15. Novembris anno 1698 ab eadem Sacra Congregatione haec petiit: Primo, quanta esse debeat Eleemosyna Missarum manualium; Secundo, qnanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus? Sacra vero Congregatio hoc pacto respondit [1]): Ad primum et secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit; sin minus, statuendam esse per Episcopum Eleemosynam competentem ejus arbitrio. Porro id Presbyteris saecularibus aeque ac Regularibus observandum indicitur; nam die 15. Januarii anno 1639 eadem Congregatio hoc responsum edidit [2]): Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum Ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis.

Nonnulli pariter asserere ausi sunt nullo modo necessarium esse, ut perscriptus Missarum numerus singulis diebus conficiatur, sed sufficere, ut Missae pro privilegiariis Aris obtinendis designatae pluribus cujuslibet hebdomadae diebus celebrentur. Verum Innocentius XII. hoc decretum Sacrae Congregationis Concilii sua auctoritate adprobavit: Cum juxta stylum Sacretariae Brevium Apostolicorum in Indultis Altarium pro Animabus Fidelium Defunctorum a poenis Purgatorii liberandis, ut vocant, privilegiatorum praefiniri soleat certus numerus Missarum in Ecclesiis, in quibus Altaria hujusmodi sita sunt, quotidie celebrandarum, adjecta nimirum clausula: Dummodo in dicta Ecclesia tot Missae quotidie celebrentur; frequenter vero contingat, ejusmodi conditionem non ita exacte adimpleri et nihilominus nonnulli favorabiliter illam interpretantes asserant, sufficere, quod Missae in iisdem Indultis, sicut praemittitur, praefinitae, pluribus saltem diebus cujuslibet hebdomadae celebrentur, nec necesse sit, illas singulis diebus celebrari; idcirco exortum fuit Dubium de mandato Sanctissimi Domini Nostri in hac Sacra Congregatione discu-

---

[1]) Lib. 48. Dec. p. 518.
[2]) Lib. 16. Dec. p. 138.

tiendum. An, attenta clausula supradicta, necessaria omnino sit singulis diebus celebratio Missarum in Indultis hujusmodi praefinitarum, vel potius sufficiat aliquibus, licet non omnibus, diebus cujuslibet hebdomadae etc. Die 5. Junii 1694. Sacra etc. respondit affirmative quoad primam partem, nagative quoad secundam, ae proinde celebrationem Missarum Indultis praefatis, ut praefertur, praefinitarum omnino necessariam esse singulis diebus in eadem Ecclesia. Et, facta de praemissis relatione Sanctissimo die 17. Julii ejusdem anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam benigne approbavit et publicari mandavit: Die 11. Septembris 1694, lib. 44. Decretorum pag. 467.

Regularium, ac Saecularium coetus, cum Pontifex Clemens XI. imperaret, a Sacra Congregatione Concilii haec petiverunt: Primo, an absentibus Religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando occasione Festivitatum, vel funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiae concessae cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, sint suspensae, vel potius remaneant in suo robore. Secundo an idem sit statuendum deficiente praefixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam Saecularium. Tertio, an pariter sit statuendum, deficiente dicto numero Missarum ob absentiam ab Ecclesiis Saecularibus Canonicorum et Sacerdotum per aliquot dies, vel menses. His ita responsum fuit die 30. Julii anno 1706 [1]): Ad primum quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimae censuit remanere suspensas; non autem in reliquis, dummodo raro contingat. Ad secundum censuit, non remanere suspensas. Ad tertium, satis provisum in primo.

Haec nobis exponenda fuerunt, ne muneri nostro pro hujus dioecesis administratione deesse videremur; ut vero omnia perficiantur, decreta in primis Urbani VIII., Innocentii XII., aliorumque Pontificum plurimum commendamus, nec non Decreta Sac. Congregationum, quae superius commemoravimus.

Cum autem Cardinalis Boncompagnus statuerit [2]), ut sors pro Missa perpetua 112. scutatis Romanis constaret, nos hanc summam ad 60. Romana scutata redigimus, cujus rei causam hic subjicimus. In Pontificatu Innocentii XIII. omnes fere Regularium Ordines summo studio petiverunt, ut onera pro Missis perpetuis imminuerentur. Tradita nobis fuit hujus negotii cura, habitisque cum Praefectis Regularium pluribus colloquiis, postremo sancitum fuit, ut onera pro singulis Missis perpetuis ad 60. Romana scutata redigerentur, eaque summa perpetuo in ejusmogi Missis excipiendis servaretur. Id Summus Pontifex sua auctoritate probavit, ac per omnes Regularium coetus decretum eo modo confectum fuit, uti paulo ante explicavimus.

Coacto Romano Concilio per Benedictum XIII., in quo locum inter Canonum interpretes nos ipsi tenuimus, facultas Episcopis permissa fuit, ut in suis dioecesibus 60. Romana scutata pro singulis perpetuis Missis decernerent, uti Pontifex Innocentius XIII. Praefectis Regularium ante perscripserat. Insuper ea conditio adjecta fuit, ne majorem, aut minorem pecuniae summam pro Missis perpetuis in posterum statui paterentur.

---

[1]) In Bull. Cl. XI. par. 2. p. 592. — [2]) In Syn. l. 1. c. 5.

Eadem ratione Sanctissimus Pontifex, qui Ecclesiam universam feliciter moderatur, nobis potestatem fecit, eamque prorogavit, ut in peragenda Pastorali Visitatione perpetuas Missas ad perscriptam normam redigeremus. Quare, si hac auctoritate praediti pro iisdem Missis 112. Romana scutata ad 60. solum scutata reduximus, quisquis concilii nostri rationem facile perspicere potest. Monendum quoque est, perpetuas Missas excipi non posse juxta Urbani VIII., atque Innocentii XIII., nisi facultas nostra, aut Vicarii nostri generalis intercesserit.

Nihil novi pro stipendiis Missarum adventitiis constituimus; sed morem jampridem inductum libenter probamus. Cum Benedictus VIII. Pontifex esset, magno apparatu, magneque studio propositum fuit, ut idem stipendum augeretur, cum Romae ad decem Romanos asses solum pertingeret. Sacrae Congregationi Concilii res examinanda tradita fuit, cum nos ipsi Sacretarii munus ageremus. Quare dissertationem in lucem edidimus, in qua rationes pro utraque sententia continebantur. Die vero 13. Aprilis anno 1726, petitum fuit: An et in qua quantitate eleemosyna manualis Missae augenda esset in Urbe. Responsum his verbis datum: Nihil esse innovandum et ad mentem: Mens est, ut agatur cum Eminentissimo Vicario super observantia decretorum pertinentium ad utensilia et ad non transmissionem Missarum extra Urbem.

Nihil pariter innovamus pro ea parte pecuniae, quae ratione utensilium Sacrariis confertur, cum Officium pro Defunctis, aut celebritas aliqua in honorem Sanctorum indicitur. Insuper, cum nihil utensilium causa requiri soleat ab iis, qui solum ob pietatem in aliquo templo rem divinam facere instituut, praecipimus, ut in hac Civitate, ac dioecesi eadem consuetudo perpetua et constans habeatur. At vero pro stipendii parte, quae utensilium causa retinetur, cum de Missis perpetuis agitur, vel de iis, quae a piis Testatoribus perscriptae fuerunt, volumus, ut Curatores Ecclesiarum infra tres menses Vicarium nostrum Generalem adeant, qui juxta normam superius expositam judicabit, an pars aliqua stipendii retinenda et quaenam summa statuenda videatur. Si id facere praetermiserint et facultatem a Vicario Generali infra praescriptum temporis spatium non obtinuerint jussu nostro nihil omnino retinere poterunt.

Postremo jubemus infra tres menses deferri ad Scribam Curiae Archiepiscopalis diplomata, quibus Altaria privilegiaria declarata fuerunt, ut ipse auctorem concessionum ejusmodi cognoscat. Nam plures Apostolica privilegia sine ullo jure jactantes, eam sibi facultatem attribuerunt. Idem Scriba deprehendet, an ea privilegia concessa perpetuo fuerint, an certo tempore concludantur; an tempus ejusmodi jam absolutum, an prorogatum sit; quaenam conditiones adjectae; an diligenter perfectae fuerint. Si haec diplomata, ac testimonia constituto tempore non proferantur, Altaria privilegio carentia pronunciabimus, aliasque poenas infligemus.

Ad illustrandum tenorem §. 51 leg. circa confess. ex 7. Maji 1874. (v. Curr. X. ex 1874) publicamus quoque legem Ministerialem de 20. Junii 1860. N. 162. in causa alienationis bonorum ecclesiasticorum, quae stricte cohaeret cum lege ministeriali de 13. Julii

1860 N. 175. (v. Curr. XIX. ex 1860), et cum brevi Apostolico ex eodem anno (v. Curr. XIV. 1860.) Lex haec in textu originali et authentico sic sonat:

162.

Verordnung des Ministeriums für Cultus und Unterricht, und bezüglich der Militärgränze, des Armee-Ober-Commando vom 20. Juni 1860,

wirksam für den ganzen Umfang des Reiches, mit Ausnahme des lombardisch-venetianischen Königreiches,

betreffend die Veräußerung und Belastung des Vermögens katholischer Kirchen, Pfründen und geistlichen Institute.

Nach dem Artikel **XXX.** des Concordates (Reichs-Gesetz-Blatt Nr. 159.) sollen Kirchengüter weder verkauft, noch mit einer beträchtlichen Last beschwert werden, ohne daß sowohl der heilige Stuhl, als auch Seine Majestät der Kaiser oder Jene, welche Dieselben hiermit zu beauftragen finden, dazu ihre Einwilligung gegeben haben.

In Vollziehung dieser Bestimmungen wird, in Folge Allerhöchster Entschließung vom 9. Juni 1860, angeordnet, wie folgt:

Um die Erlaubniß Seiner Majestät zur Veräußerung eines, den Werth von Einhundert Gulden österreichischer Währung überschreitenden kirchlichen Gutes zu erwirken, ist das Gesuch sammt den erforderlichen Belegen dem Bischofe vorzulegen, welcher es zugleich mit seinem Gutachten der politischen Landesstelle (in der Militärgränze dem Landes-General-Commando) mittheilen wird.

Handelt es sich um ein Kirchengut, dessen Werth acht Tausend Gulden österreichischer Währung nicht übersteigt, so kann, wenn der Bischof die Bitte um die Bewilligung zur Veräußerung unterstützt, die politische Landesstelle (in der Militärgränze das Landes-General-Commando) in Folge Allerhöchster Ermächtigung die landesfürstliche Bewilligung aussprechen.

Wenn der Bischof das Ansuchen nicht unterstützt, oder es sich um eine höhere Summe handelt, so ist die Sache dem Ministerium für Cultus und Unterricht (für die Militärgränze dem Armee-Ober-Commando) vorzulegen, welches, wenn der Werth des zu veräußernden Gutes die Summe von zwanzigtausend Gulden österreichischer Währung überschreitet, die Allerhöchste Schlußfassung einzuholen hat.

Zum Behufe der Veräußerung eines bischöflichen Tafelgutes hat der Bischof seinem Gesuche das Gutachten seines Metropoliten und des Domcapitels, der Metropolit oder exemte Bischof das, des betreffenden Metropolitan- oder Domcapitels beizufügen, und es der politischen Landesstelle (in der Militärgränze dem Landes-General-Commando) zu dem Zwecke zu übergeben, damit diese die Sache zugleich mit ihrem Gutachten dem Ministerium für Cultus und Unterricht (beziehungsweise dem Armee-Ober-Commando) vorlegen könne.

Die Belastung eines Kirchengutes, welche die Summe von Eintausend Gulden österreichischer Währung übersteigt, ist als eine beträchtliche anzusehen. Als eine solche ist es ferner zu behandeln, wenn Grundstücke, Wohngebäude oder Gerechtsame auf mehr als drei Jahre in Bestand gegeben werden, wie auch, wenn ausbedungen wird, daß der Pachtschilling oder Miethzins für mehr als Ein Jahr in vorhinein zu entrichten sei.

Zum Behufe einer beträchtlichen Belastung kirchlicher Güter oder Einkünfte ist das Gesuch um die landesfürstliche Genehmigung sammt den erforderlichen Belegen dem Bischofe vorzulegen, welcher es zugleich mit seinem Gutachten der politischen Landesstelle (in der Militärgränze dem Landes-General-Commando) mittheilen wird.

Wenn die Belastung die Summe von fünfzehntausend Gulden österreichischer Währung nicht überschreitet, desgleichen wenn es sich um die Abschließung eines, als beträchtliche Belastung geltenden Pacht- oder Miethvertrages für die Dauer von nicht mehr als fünfzehn Jahren handelt, so geruhen Seine k. k. Apostolische Majestät die politische Landesstelle (in der Militärgränze das Landes-General-Commando) zu ermächtigen, hiezu die Erlaubniß in dem Falle zu ertheilen, wenn der Bischof die Bitte um Genehmigung unterstützt. Wenn der Bischof das Ansuchen nicht unterstützt, oder es sich um eine höhere Summe oder um einen Pacht- oder Miethvertrag von längerer Dauer handelt, so ist die Sache dem Ministerium für Cultus und Unterricht (beziehungsweise dem Armee-Ober-Commando) vorzulegen, welches, wenn das Kirchengut mit einer, die Höhe von vierzigtausend Gulden österreichischer Währung übersteigenden Summe belastet, oder ein Pacht- oder Miethvertrag für die Dauer von mehr als dreißig Jahren abgeschlossen wird, die Allerhöchste Schlußfassung einzuholen hat.

Zum Zwecke der Belastung eines bischöflichen Tafelgutes hat der Bischof seinem Gesuche das Gutachten des Metropoliten und des Domcapitels, der Metropolit oder exemte Bischof das, des Metropolitan- oder Domcapitels, beizufügen, und es der politischen Landesstelle (in der Militärgränze dem Landes-General-Commando) zu übergeben, welche die Sache zugleich mit ihrem Gutachten dem Ministerium für Cultus und Unterricht (beziehungsweise dem Armee-Ober-Commando) vorlegen wird.

Zu den Belegen, mit welchen die Gesuche um die landesfürstliche Erlaubniß zur Veräußerung oder Belastung zu versehen sind, gehört nach Beschaffenheit des Falles das Gutachten des Patrons oder seines Stellvertreters.

Damit die Veräußerung oder beträchtliche Belastung, zu welcher die landesfürstliche Erlaubniß erwirkt wurde, in die öffentlichen Bücher eingetragen werden könne, ist von der politischen Landesstelle (in der Militärgränze von dem Landes-General-Commando) die Erklärung auszustellen, daß den besonderen, über die Veräußerung oder Belastung des Kirchengutes bestehenden Vorschriften genügt worden sei.

Dieß darf jedoch erst dann geschehen, wenn der Nachweis beigebracht ist, daß der heilige Stuhl, beziehungsweise der von demselben Bevollmächtigte, die Erlaubniß zu der betreffenden Veräußerung oder Belastung ertheilt habe, oder daß zu der, in Ver-

handlung stehenden Veräußerung oder Belastung eine solche Erlaubniß nicht erfordert werde.

Bei der Veräußerung eines, den Werth von hundert Gulden österreichischer Währung nicht überschreitenden Kirchengutes, und bei einer nicht beträchtlichen Belastung eines solchen Gutes ist nach den Bestimmungen vorzugehen, welche für die kirchliche Vermögensverwaltung maßgebend sind.

Die Bestätigung, daß den besonderen, über die Veräußerung und Belastung des Kirchengutes bestehenden Vorschriften genügt worden sei, hat die politische Landesstelle (in der Militärgränze das Landes-General-Commando) nicht zu ertheilen, bevor nachgewiesen ist, daß der Veräußerung oder Belastung in kirchlicher Beziehung nichts im Wege stehe.

Eine Veräußerung oder Belastung des Kirchenvermögens, welche mit Hintansetzung der Vorschriften dieses Gesetzes vorgenommen wird, ist als ungiltig anzusehen.

Erzherzog **Wilhelm** m. p., F. M. L.

Graf **Thun** m. p.

Nr 4299.

Congregatio pp. Mechitaristarum exposuit Nobis, extractionem sertium in favorem piorum institutorum in Oriente destinatam pro 15. Dec. 1874, executioni dari haud potuisse, ex causa, quia resultatum finale circa venditionem 80.000 sortium, hucusque plane erui nequiverat; hinc extractionem hanc cum permissione Ministeriali de 8. Nov. 1874 demum die 15. Dec. anni sequentis id est. 1875. praesumtum iri; de quo omnes respectivi, qui ejusmodi sortes emerant certiores redduntur.

E Consist. Ep. Tarn. 17. Dec. 1874.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 28. Decembris 1874.

JOSEPHUS ALOJSIUS,

Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae 1874. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.

Index

rerum in Currendis anni 1874. contentarum.

pag.

Collationes piae. Attestatum de perceptione earundem . . . 39.
Confraternitatum religiosarum instituendarum modus . . . 106.

Dobrodziejstwo §. 25. z prawa obrony dla Kandydatów stanu duchownego . 58.

Exhumatio et transportatio cadaverum, quibus sub conditionibus permittitur . 110.

Hypoteczne księgi (gruntowe) ustawa o założeniu takowych . . 51.
Dalszy ciąg . . . . . 60. et 85.

Jndulgentiarum pro animabus purgatorio detentis, applicatio. Decret S. C. Jndul. 129.
Juramenti emittendi facultas pro sacerdotibus, ad septennium prorogatur . 38.

Kasowe postępowanie co do wykupna robocizny i t. d. . . . 135.
Konsens polityczny do zawarcia ślubów małżeńskich, dla mieszkańców Tyrolu. 19.

Lex dioecesana de residentia clericorum . . . . 31.
Lex de Currendis dioecesanis in archivo parochiali asservandis . . 31.
Lex civilis intuitu confessionis relig. . . . . 67.
Lex civilis de alienatione bonorum ecclesiasticorum . . . 150.
Libri prohibiti a S. C. Jndic. . . . . 30. et 114.
List pasterski o poście wielkanocnym . . . . 9.
Litterae Apostolicae de reliquiis S. Ambrosii 2
Litterae pontificiae. Epistola encyclica intuitu legis civilis de confession. relig. 25.
Litterae Episcopatus Austriae ad Sum. Pontificem intuitu legis civilis de confessione relig. . . . . 65.
Litterae Sum. Pontificis Pii. IX. in eadem causa , . . 66.

Litterae Nuntii Apostolici de mutatione personae in hoc munere gerendo. . 41.
Losowanie obligacyj indemizacyjnych Wielk. Księstwa Krakowskiego i Galicyi zachodniéj na dniu. 30 kwietnia. . . . . . 42.
„ „ 31. paźdź. 1874. . . . . 132.

Metryki Jsraelitów. Duplikaty z nich winny być przedłożone władzom administr. 20.
Missae sacrificii recitatio in honorem S. Bonifacii ritu duplici minore pro universa Ecclesia . . . . 109.
Missarum stipendia. Abusus circa eadem. . . . . 121.
Missarum stipendia. Decret. S. C. C. Monac. . . . 131.
Missarum stipendia. Jnstitutio ecclesiastica Prosperi Lambertini S. E. R. C. . 141.
Mutationes in consociatione presbyterum pro felici morte. . . 18.

Ogłoszenie dzieła „Lichtbilder“ . . . . . 117.
Ogłoszenie dziełka „Cezaryzm i katolicyzm“ . . . . 38.
Ogłoszenie dzieł Szpaderskiego i Bulińskiego . . . .
Okólnik rady szkolnéj o dostarczenie furmanek dla duchownych celem udzielania nauki religii. . . . . . . 123.

Pensyi asygnowanie i zamknięcie dla proboszczów lub kooperatorów. Rozporządzenie Namiestnictwa . . . . . . 17.
Prenumeracya na Chorał Emiliana Schindlera . . . 8.
Praenumeratio pro opere „B. V. Maria Mater Dei Patrone Hungariae“ . 18.
Rachunki interkalarne przez Administratorów, jak mają być składane . 57.
Recolectiones piae sacerdotum Tarnoviae. . . . . 113.
Remuneracya dla XX. administratorów i wikaryuszów oraz katechetów. Rozporządzenie ministeryalne . . . . . . 35.
Rozmowy o polskiéj koronie. . . . . 7.

Składki na obraz Matejki. . . . . . 40.
Składki na mieszkańców Pogranicza. . . . . 60.
Składki dla kongregacyi OO. Mechitarystów. . . . . 19.
Składki na zakon siostr S. Dominika w Bielinach. . . . 49

Składki na kościół w Ludźmierzu. . . . 115.
Składki na kościół w Seerd (Kurdystan). . . . . 117.
Składki na Kościół S. Jerzego we Lwowie. . . . . 124.
Składki na duchownych w Szwajcaryi. . . . . 36.
Sodalitas abstinentiae et temperantiae, quomodo promovenda . . 122.
Sodalitas purissimi Cordis Jesu C. . . . . 8.
Sztuki piękne w kościołach. Rozporządzenie ministeryalne o ich utrzymaniu . 33.

Tabella Cooperatorum ad Ecclesiam servanda. . . . 32.

Usurpatio in electione Curatorum animarum. Decret. S. C. J. . . 131.

Winkulowanie fundacyj mszalnych na rzecz kościoła . . . 119.
Wykaz przedmiotów sprawionych do kościołów. . p. 22. 39. 45. 46. et 47.
Wykaz przynależności lub danin z wiosek wyłączonych, do pierwotnego matecznego kościoła świadczonych. . . . . . 137.
Wykup rybocizny, prawa mléwa i t. d. rozporządzenie dotyczące. . 139.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae die 31. Decembris 1874.

JOSEPHUS ALOJSIUS,
Episcopus Tarnoviensis.

TARNOVIAE.

Typis Anastasii Rusinowski.

Typographi ad honores Episcopalis et Consistorii.

Impensis Illustrissmi ac Reverendissimi Consistorii.

